Hanc quemadmodum sit factum . apud alios
evangelistas plenissime legitur ; Adhibe-
t autem iste [illegible] propheticum testimoni-
um . ut appareret quod maligni principes iu-
daeorum eum non intellegebant . in quo
implebantur quae legebant ; Invenit ergo
ihs asellum et sedit super eum . sicut scriptum
est ; Noli timere filia syon ecce rex tuus
venit tibi sedens super pullum asinae ; In illo
ergo populo erat filia syon ipsa est enim hieru-
salem quae sion ; In illo inquam reprobo et
caeco populo erat tamen filia sion cui dicer-
etur ; noli timere . ecce rex tuus venit
sedens super pullum asinae ; Haec filia syon
cui divinitus ista dicuntur . in illis erat
ovibus quae vocem pastoris audiebat ; In
illa erat multitudine quae dominum veni-
entem tanta devotione laudabat .
tanto agmine deducebat ; Ei dictum
est noli timere . illum agnosce qui a te
laudatur et noli trepidare cum patitur ;
Quia ille sanguis funditur per quem tuum
delictum deleatur . et vita redimatur ;
Sed pullum asinae in quo nemo sederat . hoc
enim apud alios evangelistas invenitur .
intelligimus populum gentium qui legem
domini non acceperat ; Asinam vero quia
utrumque iumentum domino adductum est
plebem eius quae veniebat ex populo
israel ; Non indomitam plane sed quae
praesepe domini agnovit ; Haec non cognoverunt
discipuli eius primum sed quando glorifica-
tus est ihs ; id est quando virtutem suae
resurrectionis ostendit ; Tunc recordati sunt
quia haec erant scripta de eo . et haec fecer-
unt ei ; id est non alia fecerunt ei quam illa quae
erant scripta de eo ; Recolebant quippe
secundum scripturam quae ante domini passionem
vel in domini passione complebantur ibi
et hoc invenerunt quod secundum eloquia prophe-
tarum in pullo asinae sederit ; Testimo-
nium ergo perhibebat turba quae erat cum eo
quando lazarum vocavit de monumento
et suscitavit eum a mortuis ; Propterea et
obviam venit ei turba quia audierunt eum
fecisse hoc signum ; Pharisei ergo dixer-
unt ad semetipsos ; Videtis quia nihil proficimus ;
Ecce mundus totus post eum abiit ;
Turba turbavit turbam ; Quid autem in-
vides caeca turba . quia post eum it mun-
dus . per quem factus est mundus . Erant autem
gentiles quidam ex his qui ascenderant ut
adorarent in die festo . Hi ergo accesse-
runt ad philippum qui erat a bethsaida
galileae et rogabant eum dicentes ; Domine
volumus ihm videre ; Venit philippus et
et dicit andreae ; Andreas rursum et
philippus dicunt ihu ; Audiamus quid
dominus ad ista responderit ; Ecce nolunt
iudaei occidere ; gentiles videre ;
Sed et illi ex iudaeis erant . qui clama-
bant ; Benedictus qui venit in nomine
domini rex israel ; Ecce illi ex circumcisione
illi ex praeputio ; Velud parietes de diverso
venientes . et in unam fidem xpi pacis oscu-
lo concurrentes ; Audiamus ergo vocem lapi-

Aus: Juc I 6
Cod 756.60

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.60, 13r – Collection of homilies
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-q7xe/5101/48694)